

LIBER SECUNDUS.

DE FORTITUDINE.

CAPUT I.

DE FORTITUDINE SECUNDUM SE ET EJUS FUNCTIONIBUS.

DUBITATIO I.

QUID FORTITUDO, ET QUÆ ILLIUS OFFICIA.

D. Thom. quæst. 123.

46. Notandum, hoc nomen dupliciter accipi, ut docet D. Thom. art. 2.
1^o. Pro firmitate animi in bono honesto; hoc modo vel est virtus generalis, nimirum objecto et extensione materiæ, quamvis specialis essentia et habitu, sicut amor honesti in genere; ut enim possum habere firmum propositum sequendi in omni negotio bonum honestum, quod recta ratio dictabit; ita etiam perstandi in eo firme, nec sinendi ab eo ullis incommodis me avelli: quod propositum habitu permanens, videtur esse virtus quædam. Hoc modo accipit AMBROS. L. 1. de Officiis c. 36. cum ait: *In duobus generibus fortitudo spectatur animi. Primo, ut externa corporis pro minimis habeat, et quasi superflua despicienda magis, quam expetenda ducat. Secundo, ut ea, quæ summa sunt, omnesque res in quibus honestas et illud πρότερον cernitur, præclara animi intentione usque ad effectum persequatur.* Itaque fortitudo, juxta AMBROSIVM, complectitur contemptum divitiarum, honorum, et voluptatum, et firmum propositum inhærendi bono honesto, sic ut nullis malis te sinas ab eo divelli, ut idem fusius prosequitur. Vel certe est conditio omnis virtutis: nam omnis virtus facit nos firmiter inhære suo objecto, si tamen perfecta sit; qui enim perfecte temperans est, ita amat bonum temperantiæ in opere suo, ut nullis malis impelli possit ad illud violandum.

Dixi, *si perfecta sit*, seu *in gradu heroico*; quia etsi omnis virtus, quæ habitus, aliquam firmitatem tribuat, juxta Aristotelem; hæc tamen facile expugnabitur, nisi alia perfectio accedat, qua bonum suum omnibus commodis et incommodis anteponat, idque firmo et inexpugnabili proposito, quo cum pervenerit, dicitur esse in gradu heroico.

47. 2^o. Pro firmitate animi in sustinendis et repellendis, in quibus difficillimum est animum regere, et statum rationis retinere; ut sunt pericula mortis. Ubi enim est peculiaris difficultas in retinendo rationis præscripto, quod rationis bonum dicitur, ibi necesse est nos peculiari virtute dirigi et juvari: atqui in periculis mortis est peculiaris difficultas ut quis decore et ex rationis norma interius et exterius se gerat: in his enim vel excitatur ingens timor ad mali fugam, quem difficillimum est ita coercere, ut non perturbet, et ad aliquid indecori compellat: vel excitatur motus audaciæ, ad mali repulsam, qui etiam moderandus est, ne temere in periculum præcipitet: vel utraque affectio, alternantibus animi motibus, et veluti inter se confligentibus, quod sæpissime fit, exoritur; et tunc utramque simul ad rationis præscriptum temperare oportet. Itaque opus est peculiari virtute, quæ has difficultates superet, et motus illos secundum rationis regulam moderetur. Hanc vocamus *fortitudinem*, ex analogia ad robur corporis; sicut enim magno robore corporis opus est, ut immotus sustineas vel etiam repellas id quod corpus tuum valide impellit; ita magno animi robore opus est ut pericula mortis, quæ animum mediante apprehensione vehementer concutiunt, sustineas, aut repellas, immotus in honesto permanens.

48. *Dices*: Virtutes singulæ ad hoc in sua materia sufficiunt, præsertim in gradu heroico; ergo hæc non est necessaria.

Respondeo primo, negando consequentiam; quia pauci eas habent in illo gradu: itaque saltem cæteris est necessaria. Deinde aliæ virtutes non moderantur timores et audaciam, quia id per se bonum et congruum homini; sed quia necessarium ad finem ipsarum; unde potius dicuntur id facere imperando quam eliciendo; ergo debet esse aliqua virtus, quæ id faciat ex affectu illius per se boni, et eliciendo.

49. Ut autem penilius intelligatur quod sit officium hujus virtutis,

Notandum 1^o. Quod sicut *justitia* versatur circa actiones quæ alium respiciunt, modum et mensuram rationis, quam in se habet, illis imponendo, ut congruant habitui, et deceant virum justum; ita *fortitudo* immediate versatur circa passionem timoris et audaciæ in periculis mortis, debitam rationis mensuram sibi insitam illis imprimendo, ut respondeant fortitudinis virtuti, et deceant virum fortem; omnis enim virtutis habitualis finis est, imprimere similitudinem sui in actionem vel passionem animi, tanquam in propriam et proximam materiam, ut colligitur ex D. THOMA q. 123. art. 7. modus enim rationis primo et essentialiter existit in virtute prudentiæ, et ab habitu transit in actum prudentiæ. Ab actu autem prudentiæ transit et veluti imprimitur actui interno voluntatis, qui alioquin ut a voluntate procedens, erat indifferens, capax illius et contrarii. Ab actu voluntatis interno transit in habitum, qui per actum in voluntate generatur; habitus vero genitus hanc rectitudinem intendit immediate imprimere vel actioni externæ, si circa eam immediate versetur, ut in justitia; vel passioni, si hæc ejus proxima sit materia: mediate tamen etiam actioni externæ; nam hujus moderatio est finis principalis virtutis illius.

Unde patet primo, quomodo bonum prudentiæ, et rectitudo quæ est in

prudentia veluti in regula, descendat in vim appetitivam, et ibi habeat rationem virtutis, et a vi appetitiva in actiones et passiones.

Patet secundo, actiones externas et passiones animi internas ad virtutem se habere instar materiæ, sicut lignum et æs ad artem statuariam: sicut enim statuaria intendit æri vel ligno sui quamdam similitudinem imprimere; ita virtus moralis actionibus externis et affectionibus animi intendit sui speciem juxta materiæ capacitatem inserere. Rursus, sicut proprium opus artis statuariæ non est lignum vel æs, sed forma statuæ impressa illi materiæ, et ipsum compositum ex forma et materia, quod etiam est proprium objectum et proprius finis illius artis; ita proprium opus fortitudinis non est timere absolute, vel audere, vel aggredi periculum; sed quando timendum vel audendum est, ponere in his rectitudinem rationis; et consequenter opus ejus est compositum ex passione et illa rectitudine, quod est timere et audere moderate, sicut fortem decet. Insinuat hæc Aristoteles L. 3. Ethicorum c. 7. cum ait: *Consentaneæ enim habitui* (græce $\kappa\alpha\theta' \epsilon\lambda\theta\upsilon$, non $\kappa\alpha\tau' \alpha\lambda\lambda\alpha$, ut Lambinus et alii quidam interpretes non recte legunt) *et ut ratio præscribit, patitur et agit fortis: finis autem operationis omnis est congruere habitui*, etc. Porro sicut moderatur *timorem* et *audaciam*, antequam malum evenerit, vel quando superari potest; ita postquam evenit, et superari nequit, moderatur passionem *tristitiæ*, ne quis nimium se affligat, aut aliquid indecori ex mœrore agat.

Patet tertio, proximam fortitudinis materiam esse *timorem*, *audaciam* et *tristitiam* in periculis mortis; his enim moderationem et rationis mensuram imprimere aut omnia conatur. Remotiorem, *externam actionem* et *compositionem*, ut fugam, permansionem, aggressionem, totumque corporis motum, et gestum: nam conatur hæc omnia moderari, ut consentaneæ viro forti fiant; non enim solam aggressionem fortitudo temperat; sed etiam fugam, quando ratio fugiendum esse dicit, et totam externam constitutionem. Remotissimam, *ipsa pericula*.

Notandum 2^o. Hæc pericula debere esse talia, ut honeste suscipi vel sustineri possint; ut sunt ea quæ pro salute reipublicæ vel proximi, pro honore Dei, aut virtutis defensione suscipiuntur; unde Aristoteles L. 3. c. 7. ait: *Qui ea quæ oportet, et cujus causa oportet, et ut oportet, et quando, perfert et timet, similiter et confidit, fortis est*. Ratio est, nam materia virtutis non potest esse inhonesta; alioquin rationi virtutis repugnaret, et ejus capax non esset; sicut materia, quæ repugnat figurationi, non est capax figuræ statuæ. Unde latrones, grassatores, duella ineuntes, et iniqua bella gerentes, non sunt dicendi fortes, sed temerarii, feroces, crudeles: quia eorum audacia et aggressio est iniqua, plenaque temeritatis vel belluinæ immanitatis, ac proinde incapax honesti et decori fortitudinis. Unde talis actus erit temeritatis et projectæ audaciæ, non fortitudinis. Quare ut affectus interni vel actus externi sint materia fortitudinis, requiritur ut per se tales sint, ut accedente moderatione fortitudinis sint absolute honesti, et rationi consentanei.

Notandum 3^o. Fortitudinem potissimum spectari in periculis bellicis, ut docet Aristoteles L. 3. Ethic. c. 6. Hæc enim honestissima et maxima censentur, et humanam conditionem non superant. Huc pertinent non solum illa communia, quæ ad patriæ defensionem suscipiuntur in bello publico,

sed etiam privata, quæ ab iniquis hominibus, privata impugnatione, propter justitiam inferuntur; ut recte D. THOMAS art. 5. Secundario spectatur in aliis periculis sive mortis, sive aliorum malorum, et gravium calamitatum: qui enim bene ad illa bellica comparatus est, etiam alia, præsertim minorâ, facile sustinebit. Itaque se ad omnia gravia et honesta, sive pericula, sive mala, ut mortis, mutilationis, flagellorum, exilii, morborum, vinculorum, sustinenda extendit; quamvis ex eo quod quis in periculo minoris mali confidenter agat, non sit absolute fortis dicendus; ut si quis flagellis cædendus confidat, ut ait Aristoteles supra c. 6., quia virtus ex perfectioribus actibus suis metienda est.

Notandum 4^o. Hanc moderationem fieri imperio virtutis fortitudinis, mediante consideratione rationis et imaginatione phantasæ: non enim aliter appetitus inferior a superiore moveri potest; ut ostensum est 1. 2. q. 17. a. 7. Considerandum igitur est, primo, mortem non esse tantum malum, quantum vulgo putatur, ut quæ tot malis hominem liberet, et maxima bona, si recte obita fuerit, conciliet. Secundo, melius esse gloriose mori, quam ignominiose vivere. Tertio, proponenda exempla Sanctorum et Domini nostri etc., talibus enim cogitationibus minuitur timor, excitatur fiducia; audacia, si nimia sit, comprimitur consideratione periculi, et quod vita non sit sine causa projicienda.

50. Ex dictis perspicuum est quid sit *fortitudo*: est enim virtus, quæ motus animi in rebus terribilibus, præsertim periculis mortis sustinendis vel repellendis, moderatur. D. AUGUSTINUS L. 83. quæst. q. 31. ex Cicerone illam definit *consideratam periculorum susceptionem et laborum perpersionem*: ubi per *consideratam* intellige *prudentem*, *congruam viro forti*, et *eo nomine amatam*. Si enim suscipias periculum amore patriæ, erit actus justitiæ legalis, vel pietatis: si amore rectæ fidei, erit confessio fidei: si amore commodi, vel honoris, non erit opus virtutis, sed amoris sui commodi: si ex audacia et timoris vacuitate, erit temeritatis. Itaque ut sit formaliter opus fortitudinis, debes adire periculum amore boni fortitudinis, quod in illo opere objective reluctet, nimirum ut illud effective in eo ponas; quod bonum situm est in congruentia illius operis cum statu et conditione viri fortis, qua fortis, id est, cum virtute, unde dicitur fortis. Passim tamen in Scripturis et Patribus non tam stricte hoc nomen usurpatur; sed fortes dicuntur, qui ex quavis causa honesta opus fortitudinis præstant, ut infra dicitur.

DUBITATIO II.

UTRUM MARTYRIUM SIT OPUS FORTITUDINIS.

D. Thom. quæst. 124. art. 2.

51. *Martyrium* in genere idem est quod testimonium. Verum hoc loco et passim apud scriptores Ecclesiasticos accipitur pro testimonio veritatis fidei vel alicujus virtutis per mortis tolerantiam; nimirum cum quis pro veritate fidei, vel opere virtutis mortem subit. Hoc autem dupliciter fieri potest.

Primo, cum aliquo actu, quo mors ipsa propter illum finem acceptetur, quo modo agitur in adultis ratione utentibus; et hoc est martyrium perfectum et formale; quia sequitur ex intentione testificandi. *Secundo*, absque ullo actu, sicut in parvulis propter Christum occisis; *quos in honorem martyrum receptos veneratur Ecclesia*, ut ait D. AUGUST. L. 3. de libero arbitrio, cap. 23. et ORIGENES hom. 3. in varios Evang. locos, ubi etiam dicit eos esse *primos martyres pro Domino occisos*, et *primitias martyrum*: sed hoc erat solum *martyrium materiale*; nam intelligentia rei testificandæ et voluntas aberat; quia tamen illa mors propter Christum inferebatur et tolerabatur, *testimonium, quod nondum poterant sermone, perhibebant passione, et sufficit causa testimonio, licet non eloquio distinguatur*; ut pulchre ait auctor sermonis de stella et Magis apud CYPRIANUM. Idem significat Ecclesia in Collecta, *Deus, cujus præconium Innocentes martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt*, etc. Unde Deus acceptat illam mortem instar formalis martyrii; nimirum ut sicut voluntas et peccatum Adam illis obfuit, ut nascendo ex ipso contraherent peccatum; ita voluntas et meritum Christi illis prodesset, ut renascendo per ipsum consequerentur justitiam.

Supplet igitur Christi meritum defectum propriæ voluntatis; quia dum pro ipso patiuntur, singulari modo ipsi conformantur, et ad ipsum, tanquam membra ad caput pertinent; et ita voluntas Christi, qui est caput, ipsis veluti membris tribuitur, cum ipsa aliam habere nequeant.

52. Verum hac specie martyrii omissa, cum constet non esse opus virtutis in parvulis, quæstio est de martyrio adultorum; de quo Martinus apud Cajetanum art. 2. contendit non esse opus fortitudinis, sed virtutis, quæ impugnatur, in gradu heroico constitutæ; quod sic probari potest. Nam quælibet virtus in eo gradu est sufficiens ut amore sui honesti mortem contemnat: in eo enim gradus heroicus virtutis magna ex parte consistit, quod voluntatem ita firme honesto faciat inhærere, ut illud vitæ anteponat. Itaque cum quis solo amore Dei eligit mortis tolerantiam, erit actus charitatis; cum amore fidei, erit actus fidei; cum amore castitatis, erit actus temperantiæ.

Confirmatur *primo*. Quia ejusdem virtutis est amare finem, et medium ad finem necessarium: atqui amare castitatem est virtutis temperantiæ; ergo et amare mortem, eamque subire, quando hæc ad castitatem conservandam est necessarium medium, est opus virtutis temperantiæ.

Ad hoc respondet Cajetanus, Majorem non esse veram, quando medium et finis sunt diversi generis: tunc enim amorem finis et medii non pertinere ad eandem virtutem; quare cum perpessio mortis sit bonum alterius generis, quam castitas; amorem illius, et amorem castitatis non esse virtutis unius, sed diversarum. Sed hæc solutio solum probat, ipsam secundum se perpersionem mortis esse actum materiale alterius virtutis, et posse formaliter ab illa procedere, si fiat amore propriæ honestatis, non autem si fiat amore castitatis: si enim illam perpersionem solum consideres ut hic et nunc est medium servandæ castitatis, eamque sic eligas, haud dubie hæc electio est virtutis temperantiæ, quia immediate ex vi amoris castitatis procedit; et consequenter ipsa perpessio externa sequens illam electionem formaliter temperantiæ opus erit; intentio enim finis, electio medii, et executio ex vi

electionis secuta, ad eundem habitum pertinent; ut constat ex 1. 2. q. 12. a. 4. Nec refert utrum medium per se sit ejusdem generis ac ipse finis, an diversi; quia non consideratur per se et secundum propriam honestatem; sed solum ut medium utile ad finem, et propter illum expetendum.

Confirmatur *secundo*. Si possum moderari timorem mortis, eamque velle sustinere affectu boni fortitudinis, quod satis obscure se ostendit, cur non etiam affectu castitatis, religionis et aliarum virtutum, quando evidens est id esse medium ad earum bonum tuendum necessarium? non enim minus efficaces sunt affectus boni illarum virtutum, quam boni fortitudinis; nec minus perperissio mortis illo casu est necessaria ad bonum illarum, quam ad bonum hujus.

53. Hæ rationes convincunt, perperissionem mortis posse procedere ab aliis virtutibus, absque formali actu specialis virtutis fortitudinis; non est tamen negandum, quin aliquando et plerumque ipsa virtus fortitudinis se immisceat, ita ut martirium etiam ex proprio illius affectu procedat: quia raro virtutes eum gradum perfectionis habent, ut solæ ad hoc sufficiant; unde aliarum admiculo opus habent: et tunc idem actus externus a diversis virtutibus internis, prout in actu illo externo per se, vel in ordine ad diversos fines, diversæ rationes honesti possunt considerari, procedit: quod ut intelligatur in re proposita,

54. Notandum est, in martirio tria considerari posse. *Primum* est, irrogatio mortis, odio fidei vel virtutis. *Secundum*, acceptatio. *Tertium*, perperissio. *Primum* non est opus virtutis, sed impietatis, et injustitiæ: semper enim est contra justitiam, quia fit gravis injuria proximo, dum sine causa occiditur; est etiam contra eam virtutem quæ impugnatur, et cujus odio supplicium infligitur.

Nec obstat quod aliquæ mulieres seipsas amore virtutis occiderint, quæ tamen ut martyres coluntur; de quibus EUSEBIUS L. 8. hist. c. 12. et 17. et AMBROSIVS L. 3. de Virginibus, ante medium: quia etiam hæ a tyrannis occisæ censentur; cum ad hoc quodammodo ab illis compulsæ fuerint, stupri timore incusso, cui impulsioni merito potuerunt cedere, seipsas interficiendo, Deo id illis suo instinctu permittente; non enim minus testimonium perhibet virtuti, qui ejus retinendæ causa, alio moliente auferre, seipsum occidit, si id ei licitum sit, quam si ab alio se patiat occidi; quod in primis locum habere potest in castitate, quæ et vi nobis invitis eripi potest, qua parte ad corpus pertinet, et in cujus ereptione est magnum discrimen salutis, ob voluptatem.

Secundum et *tertium* ad varias virtutes pertinere potest; si enim acceptatio et perperissio mortis consideretur quatenus fit ad testandam fidei veritatem in seipsa, vel in opere virtutis elucentem (quo modo semper a martiribus mors acceptari et sustineri solet; hinc enim martirium dicitur); sic est confessio fidei, procedens a virtute fidei; ejusdem enim virtutis est, aliquid interius credere, et exterius profiteri. Si spectetur ut fit ad placendum Deo, est actus charitatis: si ut præcepto divino obedias, est obedientiæ: si ut sit conformitas inter signa externa et judicium internum, est actus veritatis. Denique si fiat quia in tali rerum peristasi decet virum fortem acce-

ptare et sustinere mortem, sic proprie procedit a virtute fortitudinis: hæc enim operatur ex affectu proprii boni, quod est similitudo seu conformitas cum habitu a quo fortis dicitur, ut supra ex Aristotele ostensum est. Similiter moderatio timoris et tristitiæ, quæ etiam necessaria est ut mors fortiter sustineatur, et cohibitio animi intra limites patientiæ, potest fieri affectu variæ virtutis: nec procedit a virtute fortitudinis, nisi fiat affectu proprii boni; nempe quia hoc per se honestum est, et congruum viro forti. In praxi autem, omnes supradictæ rationes et aliæ similes considerandæ sunt, et mors propter omnes et singulas acceptanda et sustinenda, passioque timoris et tristitiæ moderanda; sicque formaliter hi actus ad varias virtutes pertinebunt.

55. Advertendum tamen, sive hi actus, scilicet acceptatio et perperissio mortis causa fidei, itemque timoris et tristitiæ in illis malis moderatio, procedant ab affectu specialis virtutis fortitudinis, sive alterius virtutis; semper tamen secundum communem modum loquendi Patrum, esse dicendos actus fortitudinis; idque ob duas causas. Prior est, quia in his potissimum actibus robor et firmitas animi in bono elucet; unde etiam sunt propria fortitudinis materia. Altera est, quia reipsa procedunt ex summa animi in bono honesto firmitate: atqui ea firmitas, qua quis ita alicui bono honesto inhæret, ut paratus sit pro eo retinendo mortem oppetere, passim a Patribus vocatur fortitudo, ut constat ex AMBROSIO L. 1. de Officiis c. 36., AUGUSTINO L. 1. de moribus Ecclesiæ c. 22. et 23. et aliis; nullus enim Patrum fortitudinem ad eas angustias restringit, ut solum id, quod decet virum fortem, respiciat, ejusque solius intuitu operetur.

56. Ex quibus perspicuum est, martirium vere et proprie esse actum fortitudinis, etiamsi solius charitatis et fidei affectu subeat; non simplicem et vulgarem, sed excellentissimum, quia in nobilissima fortitudinis materia (ut etiam ex Aristotele L. 3. Ethic. cap. 6. colligitur), nimirum in periculis bellicis, iisque pulcherrimis versatur. In martirio enim est bellum contra tyrannum pro defensione fidei et religionis (juxta illud Apostoli ad Hebr. 11. *Fortes facti sunt in bello*, ut divus THOMAS interpretatur), quod non invadendo, sed tolerando conficiendum est: at multo difficilius tolerare quam invadere, ut docet Aristoteles supra, idque ob tres causas. 1º. Quia qui tolerat, veluti a fortiore invaditur et opprimitur: qui invadit, aggreditur tanquam fortior; difficilius autem est cum fortiore pugnare quam cum debiliore. 2º. Qui tolerat, jam sentit malum præsens: qui invadit, aestimat tanquam futurum. 3º. Tolerantia diu durat: invasio fit motu repentino: unde Proverb. 16. *Melior est patiens viro forti; et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium*; et D. AMBR. L. 1. Offic. c. 41. fuse ostendit, fortitudinem plus in tolerando quam in vincendo constare. Idem eleganter prosequitur CHRYSOSTOMUS hom. 85. (al. 84.) in Matth.

DUBITATIO III.

QUÆNAM AD MARTYRIUM REQUIRANTUR.

57. Respondendum cum distinctione martyrii parvulorum et adultorum : nam ad martyrium parvulorum non requiritur aliud, quam ut in odium Christi, aut religionis Christianæ occidantur. Est communis sententia Doctorum et sensus Ecclesiæ, quæ Innocentes pueros pro martyribus colit, eo quod occisi sint propter Christum, de quo supra num. 51. Si enim hi censendi sunt martyres ob hanc causam, cum tamen nullam aliam relationem ad Christum haberent, quam quod Christus putaretur inter eos esse, et posse eorum indiscreta cæde involvi; non minori jurè etiam censendi, qui majorem conjunctionem cum illo habent; ut sunt illi, qui occiduntur quia Christiani, quia baptizati, quia filii Christianorum, etc. Hi enim occiduntur quia inest illis certa cum Christo conjunctio, vel ad illum respectus; et ita ipsa mortis perpessione dant testimonium Christo et religioni ejus.

58. Ad martyrium adultorum, ut sit quale oportet ad salutem, requiruntur quinque : primo, mortis irrogatio : secundo, acceptatio ejusdem ex pia causa : tertio, ut non resistat tyranno : quarto, ut fide teneat veritatem pro qua patitur : quinto, status gratiæ.

1^o. Requiritur ut mors inferatur odio Christi, vel religionis Christianæ, vel alicujus veritatis fidei, vel propter opus virtutis. Martyrium enim est testimonium externum, quod Christo vel doctrinæ ejus præbetur, per hoc quod mortem pro ea subimus. Hoc autem fieri non potest, nisi aliquis mortem inferat, ut Christum vel ejus doctrinam nobis auferat. Hinc hæretici, etiamsi putent se pro doctrina Christi occidi, non sunt martyres, quia mors illa non inferitur illis odio doctrinæ Christi, sed hæreseos, quæ Christi doctrinæ repugnat. Unde recte D. AUGUSTINUS serm. 2. in Psalm. 34. n. 13. ait : *Martyres non facit pœna, sed causa. Nam si pœna martyres faceret, omnia metalla martyribus plena essent, omnes catenæ martyres traherent, omnes qui gladio feriuntur coronarentur.* Nec refert, quod ipsi putent se justam causam habere; tum quia est errore culpabilis; tum quia supplicium non irrogatur odio veritatis, et ita moriendo non dant testimonium veritati.

Sed dubium est, utrum necesse sit reipsa mortem sequi. Martinus contendit id non esse necessarium, imo propositum sustinendæ mortis sufficere; quia martyrium est actus virtutis, hic autem a nostra libertate pendet : reipsa autem mortem subire, non est in nostra potestate, sed pendet ab arbitrio tyranni.

Verum hoc bene refutat Cajetanus art. 4. Inde enim sequeretur, omnes illos, qui tale habent propositum, esse martyres : quod est contra communem sensum Ecclesiæ. Neque mirum est, fieri martyrem non esse in sola nostra potestate; quia est opus externum, supponens tyrannum in nos sævientem. Simili modo sæpe fit, ut non sit in potestate hominis baptizari, confiteri, ordinari, dare eleemosynam, etc.

Dicendum igitur est, quatuor gradus martyrii distingui posse. *Primus* et supremus est martyrium omnino completum; hoc requirit ut mors reipsa

sequatur; per hanc enim fit extrema et summa testificatio veritatis. Quamdiu enim vita superest, semper restat aliquid, per quod ulterius testari possimus.

Secundus est, cum martyrium completum est ex parte causæ proximæ et intrinsicè penetrantis; ut quando inflictæ sunt vulnera lethalia, quæ nulla vi naturali prohiberi possunt a mortè inferenda : hoc enim censendum verum martyrium, etiamsi contingat mortem divinitus impediri; quia est proxima et necessaria ad mortem dispositio.

Tertius est, cum est completum ex parte tantum causæ extrinsecus applicatæ, etiamsi martyr nihil inde incommodi sentiat; tale fuit S. Joannis, cum in dolio ferventis olei positus fuit : hoc enim est subire mortem in causa per se efficaci, et naturaliter impediri nescia; unde non est minus efficax testimonium veritatis apud homines quam si revera mors secuta fuisset : quinimo quod mors divinitus impediatur, auget vim testimonii; nam per hoc omnibus fit manifestum, Deum illius causam approbare.

Quartus est, quando martyrium seu perpessio mortis solum est inchoata per tormenta; ut quando quis propter confessionem fidei coram tyranno, tormentis non lethalibus afflictus est; nam et tales passim a CYPRIANO, TERTULLIANO, et aliis martyres vocantur, et distinguuntur a confessoribus qui etsi Christum confessi essent, nondum fuerant tormentis subjecti, quamvis in carcerem conclusi, vel in exilium ejecti essent. Vide CYPRIANUM ep. 9. (al. 8.) quæ inscribitur *Martyribus et confessoribus*, et 10. (al. 9.) *Honorem martyrum, et confessorum pudorem turbare conatur*. Et infra : *Hi sublato honore, quem nobis beati martyres cum confessoribus servant, contempta Dei lege, quam iidem martyres et confessores tuendam mandant*, etc. Idem aperte colligitur ex epistola 15. 30. 37. 81. et aliis. TERTULLIANUS scripsit librum ad martyres, quos etiam vocat c. 1. *designatos martyres* : et paulo post, *martyres*; cum ait : *Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes, a martyribus in carcere exorare consueverunt*. Et L. adversus Praxeam, dicit c. 1. *Praxeam de jactatione martyrii fuisse inflatum, ob breve carceris tedium*. Interdum iidem vocantur etiam *confessores*, ut patet ex epistola 17. (al. 16. inter *Cyprian.*) quæ est LUCIANI, et 18. (al. 17.) CYPRIAN., etc. Nam martyrium etiam est confessio : quia tamen est eximia et qualificata, ordinarie distinguitur a nuda confessione.

Ex his patet, martyrium omnino perfectum requirere mortem, reliqua non. Posteriore tamen ævo non vocantur martyres, nisi qui mortem per tormenta, vel afflictiones pro Christo inflictas obierunt.

59. 2^o. Requiritur mortis acceptatio ob causam honestam et piam. De acceptatione probatur, quia sicut adultus non potest absque suo consensu contaminari peccato, ita neque consequi justitiam. Unde nec baptismus quidem adulto prodest, nisi in illum consentiat, eumque acceptet. Non tamen est necessarius consensus præsens; sufficit præcessisse, nec esse revocatum mutatione propositi. Unde si quis ob fidem conjectus in vincula, stateret apud se, perpeti potius mortem, quam fidem negare; et ille postea in somnis odio fidei interficeretur, esset vere martyr, et haberet martyrii coronam, sicut patet in simili de baptismo : nam illam mortem acceptavit; ejusque perpessio est ei voluntaria, quatenus pendet a voluntate præcedente, et in habitu perseverante. Si tamen nihil de morte antea cogitarat, verisimilius est non esse proprie martyrem : sicut cum quis baptizatur in